

*Begleitschreiben von Kardinal Friedrich Gustav Piffl, Erzbischof von Wien, zur Übergabe des
Quinquennialberichtes 1923. Wien, 26. Februar 1922*

Der
Kardinal-Erzbischof
von Wien

Nr. 19/Pr.

Beatissime Pater,

Hisce acclusam ad Pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus devotissime defero
Relationem super statu Archidioecesis Viennensis anni 1923 simulque erogare audeo
benignissimum iudicium Sanctitatis Vestrae.

Et Deus

Viennae, die 26. Februari 1924

+ Fridericus Gustavus Cardinalis Piffl
Archiepiscopus Viennensis

Relatio
super statu Archidioecesis Viennensis
in Austria anno 1923

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Fridericus Gustavus Tit. ad S. Marcum S. R. E. Presbyter Cardinalis Piffel, etc. ut in I. Relatione. Auxiliaris dioeceseos Dr. Joseph Pfluger, Episcopus Arpasensis, natus 1857, consecratus 1911.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitanam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitanae suffragetur, quem Metropolitanam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

3. Dicat praeterea:

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;

f) in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

2–3b) ut in I. Relatione.

3c) ut in I. Relatione; graeci-catholici circ. 15.000

d) ut in I. Relatione; 110 clerici, 240 alumni seminarii minoris, 19 alumni Instituti Operis Canisiani.

e-g) ut in I. Relatione

- ad g 29.) Pia sodalitas virorum „Reginae Apostolorum” pro Missionibus in India, 1 domus, 8 Sacerdotes, 2 fratres.
ad g 14) Barnabidae 2 domus tantum
ad g 24) Societas Ss. Salvatoris 5 domus
h) ut in I. Relatione praeter
17) 4 domus
31) Sororum Piae Sodalitatis „Reginae Apostolorum“ (3 domus).

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis

4. *An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quatenam sit conditio cleri et ecclesiarum.*

Bonorum ecclesiasticorum temporalium administratio sicuti antea subest vigilantiae auctoritatis civilis iuxta leges de dato 7. V. 1874 praesertim quoad alienationem ac onerationem, ita ut alienationes, onerationes et maioris momenti elocationes sine licentia gubernii fieri non possint; porro civilis auctoritas iure patronatus gaudet plurium beneficiorum ecclesiasticorum ipsique quotannis reddi debet administrationis gestae ratio; e contra gubernium tutelam bonis ecclesiasticis praestat et ad ecclesias restaurandas ac conservandas necnon ad clerum saecularem ac egentem regularem sustendendum portionem sic dictam „congruam“ addit.

Cleri ac ecclesiarum conditio ultimis annis melior facta est, quamvis adhuc clerus sit egens. Fideles ad ecclesiarum instructionem et decorationem libentissime offerunt; sic dicta „stola“ nunc quoque cum consensu gubernii augetur. Clerus tamen adhuc semper indiget stipendiis et auxilio externorum.

5. *An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.*

Sensu stricto Consilium administrationis iuxta Can. 1520 C. J. C. penes Curiam nostram non existit. Sed Ordinarius quoad casus maioris momenti utitur consilio membrorum „Consistorii” iuratorum; porro penes Curiam nostram existit sectio sic dicta „Cancellaria rationum“ ex sacerdotibus et laicis peritis instituta, quae accurate annuas parochorum rationes examinat; porro penes Curiam nunc quoque secretarius in re summopere peritus demandatus est, ut modo „statistico” omnia bona ecclesiastica quoad bonam administrationem et elocationem perquirat. Praeterea quivis decanus (vicarius forensis) ad hoc duobus laicis in suo districtu peritis et aestimatis uti debet, quos Curia in triennium nominat; denique pro unaquaque ecclesia duo vitrici (viri pietate et integritate conspicui) ad procuranda bona ecclesiastica nominati¹ sunt. Pro expensis, quae superant summam 500.000 Kor., Ordinarii permissio ab Ecclesiarum rectoribus expetenda est.

6. *An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.*

Accuratissima annua ratio ab ecclesiarum rectoribus et a confraternitatibus postulatur. Perpauci sacerdotes rationem non reddunt.

¹ Im Original *nominata*.

7. *An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.*

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servant quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

7, 8, 9) Praecepta hic notata in dioecesi observantur. Etiam auctoritas civilis similia praecepta dedit administratori. (Cfr. I. Relatio).

Piae foundationes ultimis annis raro erant ob monetae austriacae variabilitatem.

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

Tributa fructuum in paucis tantum parochiis existunt; difficilis est conditio parochorum, qui dependent a talibus tributis, quae ruricolis auferre intendunt, immo nonnulli patroni ecclesiarum ad haec tributa obligati solvere non volunt; in nonnullis casibus etiam ex hoc processus coram foro civili est exortus.

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.*

De fidelium oblationibus in commodum parochiae, quae vero raro fiunt, parochus Curiae ac auctoritati civili rationem reddere debet. Parochis, qui talibus oblationibus gaudent, ex parte gubernii minuitur sic dicta „congrua“.

12. *Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

C. J. C. de stipendiis missarum praecepta fere ubique in Archidioecesi servantur. (Cfr. I. Relatio).

Cum taxa dioecesana etiam respectu habito ad portionem „congruam“ gubernii et ad factiones politicas clero adversarias usque nunc fuisset insufficiens, haud raro sacerdotes sua sponte stipendium augebant; quapropter nunc ex 1. Decembri 1923 clero demandatum est, ut accuratissime observarent taxam novam dioecesanam, nempe: 8000 Kor. pro Celebrante, 2000 Kor. pro ecclesia celebrationis.

Missae exuberantes nunc raro existunt; nec etiam penes Curiam, praesertim cum Regulares stipendia superflua nunc fratribus suis egentibus in Germaniam transmittant.

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria praescripta existunt et post decem annos sunt renovanda. In casu mortis vel decessus rectoris decanus iuxta praescripta dioecesana claves archivi, protocolla, pecuniam etc. excipere et administratori provisorio tradere debet, de quo facto protocollum conficiendum est. Quod res arte vel pretio insignes attinet, ecclesiarum rectoribus specialiter vetitum est alienatio. Quotannis de quavis inventarii immutatione Ordinario reddenda est relatio.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

Archivum dioecesanum a saeculo decimo sexto incipiens, penes Curiam adest optime dispositum, libris ac decalogis necessariis instructum. Pergamena et catalogi adsunt. Totum archivum subest directioni R. D. Dr. Ernesti Tomek, Professoris historiae ecclesiasticae in universitate Viennensi. Archivum secretum penes me et Curiae Cancellarium bene clausum asservatur. Claves in casu obitus Ordinarii accipiet Secretarius Curiae.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Archiva in ecclesiis existunt.

Decani statum archivi quotannis inspicere et Curiae referre debent. Catalogi persaepe, praesertim in archivis ruralibus, non existunt.

Caput III

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quanam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Vehementissima agitatione praesertim vero operarios in fabricis cogentes socialistae etiam ultimis annis multos catholicos ad apostasiam seduxerunt; census populi (anno 1921) necnon electiones deputatorum anno 1923 socialistis dedit occasionem ad infensissimum bellum contra clerum ac religionem Christianam.

Apostasia vel ad confessionem acatholicam (praesertim Protestantium et Vetero-Catholicorum) vel ad nullam confessionem (Konfessionslosigkeit) plurimum eveniebat in urbe magna Viennensi (– incolarum numerus 1,863.783) et quidem in eius districtibus externis, qui populationem auctam, parochias paucas et nimis magnas, haud multas ecclesias, et plurimos fabricarum operarios in se continent; quod elucet e sequenti schemate iuxta numeros officiales confecta; in Urbe Viennensi.

Numerus apostatarum ab Ecclesia catholica est sequens:

Anno	
1918	1681
1919	7472
1920	7910
1921	8108
1922	9268
1923	14799 (primis tribus mensibus)

Ex tempore revolutionis (12. XI. 1918) usque ad mensem Martii 1923 inclusive erant apostatae:

Catholicorum	47.657
Vetero-Catholicorum	657
Protestantium	2721
Judaeorum	4988

Infra idem tempus ingressi sunt ad religionem

Catholicam	3030
Vetero-Catholicam	10606
Protestantium	15490
Judaicam	1234
sine confessione (konfessionslos)	25787

Ingens numerus apostatarum ad Vetero-catholicos et Protestantes intelligi potest ex eo, quod hae confessiones coniuges a toro et mensa separatos admittunt ad alterum matrimonium non obstante ligamine.

Magnus numerus nulli confessioni adhaerentium magnum periculum est, quia horum infantes – non obstantibus legibus civilibus – saepe non iam baptizantur nec in doctrina christiana instruuntur.

Ceteras sectas ex America et Anglia post revolutionem introductas quod attinet, numerus asseclarum annis ultimis non est auctus, immo diminutus; harum sectarum periculosissima est secta Methodistarum, quae in 6 locis Viennensibus cultum suum exercet et operibus caritativis fideles allicere intendit.

Theosophismi, anthroposophismi et spiritismi lues etiam dioecesim nostram infestat.

E clero nemo iisdem erroribus est infectus, sed ex tempore revolutionis usque nunc 18 sacerdotes saeculares dioecesani, plurimi, ut matrimonium contraherent, statum suum sacerdotalem dereliquerunt, quorum nullus usque nunc est conversus, unus (Lamm) capellanus vetero-catholicorum est.

Associatio omni religioni infensissima est sic dicta „Freidenkerbund Oesterreichs“, quae Viennae 30 et ruri 16 sectiones habet.

Consilium vigilantiae adest consistens ex 12 sacerdotibus dignioribus.

Operam damus praedictis erroribus oppugnandis tum praedicationibus tum scriptis, societatibus catholicis, praesertim sic dictae „Hilfsverein für christliche Ehen“, cuius membra Apostatas ad fidem reducere intendunt.

Sacerdotibus Curia nostra dedit instructionem, quomodo se gerere debeant erga apostatas.

Mense Januarii in multis ecclesiis Viennensibus fiunt praedicationes et orationes, ut apostatae in sinum Ecclesiae reducantur; Patres Societatis Jesu specialem sectionem habent ad apostatas reducendos et acatholicos convertendos.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico semper exigitur et ab omnibus, ad quos spectat, praestatur.

17. *Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.*

Divinus cultus libere exerceri potest.

18. *An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.*

Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue agnoscuntur; nova coemeteria a Communitatibus civilibus fere semper eriguntur interconfessionalia.

19. *Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irreperint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur.*

Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino leges canonicae et liturgicae observantur iuxta libros liturgicos et Collectionem Rituum pro Archidioecesi Viennensi ex anno 1898² a S. R. C. approbatum.

Pro clericis et sacerdotibus in sacris assistentibus instructio practica anno 1922 a Curia nostra iuxta libros liturgicos exarata est.

Cantus choralis melius nunc alumnis docetur et in Ecclesia Metropolitana iuxta editionem Vaticanam cantatur.

Picturae, statuae, aliaque a sanctitate loci aliena in nostris ecclesiis non existunt. Decanis praescriptum est, ut de dignitate, pulchritudine artificiosa ecclesiarum et sacrae suppellectilis invigilent. Profani conventus vel nundinae in ecclesiis non fiunt. Proh dolor semper adhuc saepius instituuntur sic dictae „symphoniae musicae sacrae“ in ecclesiis remoto quidem Sanctissimo Sacramento, ut chori dirigentes pecuniam necessariam pro aptis musicis colligere possint, nam compositiones musicae sacrae in Austria sic dictae classicae (v. gr. a Haydn, Beethoven, Mozart, Schubert, Bruckner) non sine magnis expensis in ecclesiis bene reproduci possunt.

20. *Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.*

Cum numerus ecclesiarum nequaquam necessitati fidelium Viennensium sufficiat, summopere cordi meo est, ut novae ecclesiae aedificentur; quapropter anno 1922 et 1923 2 ecclesiae sunt aedificatae (ruri 1), necnon 4 capellae; 4 ecclesiarum aedificatio est incoepta.

21. *An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae.*

Adsintne egentes, squalidae, fatiscetes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Generatim ecclesiae sunt mundaе, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae; zelus sacerdotum ac fidelium, quod hoc attinet, generatim est laudandus; praesertim plurimae ecclesiae iam habent campanas suas; etiam ecclesiarum multarum renovatio ultimis annis est perfecta.

Quia Archidioecesis nostra multas habet ecclesias structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes, penes Curiam nostram institutum est sic dictum consilium dioecesanum pro ecclesiis

² Fälschlich statt 1889.

conservandis (Diözesandenkmalrat) sub praesidio Vicarii Generalis; praeterea penes gubernium civile institutum simile existit „Denkmalamt“ nuncupatum. Inconsulto hoc instituto gubernium nullum dat subsidium ad ecclesiarum aedificationem vel renovationem.

22. *An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, semper est gratuitus.

23. *An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Ecclesiae rite custodiuntur et rectoribus demandatum est, ut in locis furtis obnoxiiis calices et ostensoria e tabernaculis amoveantur et unacum cetero pretioso supellectili in domo parochiali custodiant. Nonnullae ecclesiae etiam ultimis annis furto erant obnoxiae.

Ss. Sacramentum in paucis ecclesiis regularium in duobus altaribus asservatur ob communionis frequentiam et Benedictionem cum SS. Sacramento quotidie fere horis pomeridianis fidelibus dandam.

Tabernaculum in plurimis ecclesiis in altari maiore est et quidem cum fixo baldachino, pro expositione Sanctissimi Sacramenti.

Lampades olei coram SS. Sacramento loco lucis electricae nunc iterum a me sunt praescriptae.

Caput IV.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraicum exigit iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Cfr. I. Relatio.

Mensa episcopalis aere alieno non gravatur.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Inventarium bonorum mensae iuxta canones adest.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.*

27. *Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter serventur. Can. 336.*

Ut in I. Relatione.

Litteras pastorales anno 1923 scripsi de operibus caritativis, de penuria sacerdotum et de crematione; porro litteras de associationibus catholicis et plures litteras occasione solemnitatum (de iuventute, de scholis).

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventurne in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Confirmati sunt anno 1922: 34814

Anno 1923: 33407

Et quidem a me ipso:

1922: 15460

1923: 17536

Ceteri confirmati sunt a Reverendissimis Dominis Vicario Generali Dr. Josepho Pfluger, Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico, et Episcopo Titulari Eucarpiensi Dr. Ernesto Seydl, Canonico Ecclesiae Metropolitanae Viennensi.

Cetera ut in I. Relatione.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1.*

An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

Anno 1922: 23, anno 1923: 24 clerici dioecesani promoti sunt per me et vicarium Generalem ad sacros ordines maiores. Numerus ordinatorum dioecesis nostrae necessitatibus quamvis sit auctus, nequaquam sufficit.

Opus pium „Canisiuswerk” in aedificio mensae episcopalis in XIII. districtu Viennensi institutum simile seminario minori condidit, in quo nunc 19 pueri studiis gymnasialibus sunt dediti.

Propter penuriam sacerdotum etiam aliquos aliarum dioeceseon vel saecularisatos sacerdotes incardinavi servatis legibus.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

Sicuti in I. Relatione.

31. *Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Sicuti in I. Relatione.

32. *An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Clerus in nostro folio dioecesano anno 1922 peculiarem instructionem accepit, quomodo quoad matrimonia mixta et acatholica se debeat gerere.

Porro in hac causa merita sibi acquisivit associatio sic dicta „Hilfsverein für christliche Ehen“ iam memorata. Cfr I. Relatio.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

Anno 1922 visitavi 38 , anno 1923 65 parochias, cfr. I. relatio.

Visitationem ad normam cc. C. J. C. feci; abusus quoad satisfactionem missarum non inveni apud sacerdotes dioecesanos.

Paucis sacerdotibus non dioecesanis Viennae degentibus, de quorum satisfactione missarum dubitavi, licentia celebrandi denegata est.

Decani quotannis omnes parochias, archidecani omnes decanos visitaverunt; ecclesiae

Metropolitanae et parochiae visitatio demandata est Episcopo Eucarpiensi Dr. Ernesto Seydl.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

Cfr. I. relatio. Quotannis habita est conferentia cum omnibus decanis, in qua praesertim quaestiones de scholis, de vita sacerdotum communi et de stola ac stipendio dioecetano sunt discussae.

35. Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

Conferentiae Reverendissimorum Episcoporum Austriae etiam ultimis annis mense Novembri apud me erant; Episcopatus austriacus anno 1922 edidit declarationem contra vestitus feminarum indecentes, saltationes modernas, contra sic dictam „culturam nuditatis”, Prostitutionem, matrimonia civilia.

Anno 1923 Episcopatus austriacus consilium fecit de catechismo austriaco novo, de habitu clericali.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

Cfr. I. Relatio.

Etiam ultimis annis generatim relationes inter auctoritatem civilem et ecclesiasticam in Austria erant bonae; quod non dicere possum de auctoritate civili in Communitate Viennensi a socialistis etiam post ultimas electiones occupatae; praesertim omni modo impugnant isti socialistae contra doctrinam christianam in scholis publicis.

Caput V.

De Curia dioecesana

37. *Utrum Curia dioeciesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

38. *De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Omnia ut in I. Relatione.

Cancellaria nostra ultimis annis incepit descriptionem Statisticam archidioecesis Viennensis et nunc quoque unus sacerdos in hac re peritus huic labori operam dat, quia descriptio statistica dioeceseos usque nunc non est facta, quamvis magni momenti sit praesertim pro urbe Viennensi. Cum Officialis dioeceseos nunc iam sit senex et aegrotans, eiusdem vices nunc gerit Reverendissimus Dominus Wenceslaus Merinsky, Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Viennensis.

Porro nonnullos novos iudices prosynodales nominavi.

39. *Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.*

Ut in I. Relatione.

Caput VI.

De Seminario.

40. *Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.*

41. *Si seminarium adsit, referatur enucleate:*

a) *de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*

b) *de statu aedium et rusticationis domus;*

c) *de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*

d) *de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarium statum.*

42. *Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.*

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioeciesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

43. *An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

44. *An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiariter Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*

40 - 44) Cfr. I. Relatio.

Seminario minori ex anno 1922 praeest novus Rector Dr. Joannes Gärtner, antea Caeremoniarius archiepiscopalis.

Seminario maiori novus Rector Carolus Handloß, antea rector spiritualis eiusdem seminarii; rector spiritualis nunc est Franciscus Gundl, antea religionis professor in Gymnasio.

Sub novo regimine Seminaristi etiam in cantu gregoriano melius instruuntur; alumni minoris seminarii classis V - VIII ediscere debent instrumentum Harmonii.

Utriusque seminarii fere omnes alumni sunt sodales mariani, zelo et spiritu ecclesiastico imbuti; magnum solatium etiam mihi praebet industria eorum quoad missiones adiuvandae.

Caput VII. ***De clero generatim.***

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

Portio „congrua” ex parte gubernii ultimo anno est aucta; etiam sic dicta „stola” est aucta; tamen conditio cleri etiam nunc, quamvis melior, non est bona.

Anno 1923 etiam condita³ est communis cassa pro infirmis sacerdotibus (Krankenversicherung).

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.

Cfr. I. Relatio.

Mense Decembris 1923 empta est domus exercitiis destinata.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochio, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Cfr. I. Relatio.

Conferentiae tum parochorum, tum professorum religionis necnon catechetarum in scholis elementaribus saepius fiunt. Anno 1922 etiam habitae sunt plures conferentiae pro concionatoribus.

Institutum porro scientificum pro catechetis anno 1922 conditum est ad catechetas melius instruendas.

Anno 1923 institutae sunt conferentiae iteratae ad themata pastoralis theologiae melius pertractanda et adhibenda; folium nostrum dioecesanum allegatum ex anno 1924 habebit folium pro cura animarum.

Nonnulli iuniorum sacerdotum praescripta dioecesana quoad habitum clericalem non observant. Vita communis sacerdotum in urbe Viennensi nunc paulatim instituitur, quod praesertim mihi cordi est et in variis conferentiis a me praescriptum est.

³ Im Original *conditum*.

Quod sanitatem cleri attinet, praesertim iuniores sacerdotibus non habent firmam valetudinem ob inopiam a bello causatam.

48. *An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeant sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.*

49. *An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.*

50. *An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.*

51. *An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.*

52. *An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedeant; qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.*

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.*

48-53) Ut in I. Relatione.

ad 53) Etiam sacerdos Kurane semper adhuc quamvis sit suspensus, doctrinam christianam docet in sua schola, cum magistratus communitatis civilis mandato Ministerii in hoc casu non obtemperet.

Caput VIII

De Capitulo

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeantur alii beneficiati minores, et quot.*

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

59. *Quot adsint canonici ad honorem; et serventur de ipsis regulae can. 406.*
60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*
61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*
62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*
54-62) ut in I.Relatione.

Post mortem Canonici Caroli Seydl Canonicatum vacantem contuli Reverendissimo Domino Praelato Dr. Maximiliano Brenner, Instituti Teutonici S. Mariae de Anima antea rectori, ut haberet, unde posset vivere.

E Canonicis Capituli Metropolitanus nostri tres propter senectutem et infirmam valetudinem non iam possunt me adjuvare in negotiis dioecesanis.

Caput IX.

De Vicareis foraneis et parochis.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.*

Cfr. I.Relatio.

Plurimi decani (= Vicarei foranei) perbene officio suo funguntur; etiam annis 1922 et 1923 ad conferentias decanos convocavi, in quibus ipsis mandata mea de vita sacerdotum communi, de modo se gerendi erga sacerdotes capitulares et observationes meas in visitatione canonica factas enuntiavi.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et serventur lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Paucae paroeciae ad breve tempus de suo proprio pastore non erant provisae. Canon 460 observatur.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaque sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

66. *An et quot adsint patronatus obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an*

adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepan et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximorem ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragenda, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepan.

65-71) Cfr. I. Relatio.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Quod curam infirmorum, viaticum et extremam unctionem attinet, plurimi fideles in nosocomiis publicis moriuntur, ubi Ordini S. Camilli cura animarum demandata est.

Qui vero in sanatoris privatis moriuntur, ubi saepe⁴ administrationem et curam infirmorum procurant, haud raro est, quod infirmi sine extremis sacramentis moriuntur.

Item in nimis magnis parochiis, ubi sacerdotes infirmos noscere⁵ non possunt, saepius evenit, quod infirmi sine sacramentis moriuntur.

Curia nostra incepit enumerationem eorum, qui sine sacramentis sunt mortui.

Valde optandum esset, ut regulares permissionem a superioribus suis generalibus, immo mandatum acciperent ad parochias novas condendas in urbe Viennensi.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

Valde adiuvat parochos Viennae associatio sic dicta „Hilfsverein für christliche Ehen“ iam memorata, quae ex anno 1908 usque nunc 28.130 matrimoniorum celebrationem in forma Ecclesiae procuravit; etiam 1650 Apostatas anno 1922 visitavit, horumque 120 in sinum Ecclesiae reduxit; quae societas Viennae 17 habet sectiones.

⁴ Nach saepe ist, wie der Vergleich mit der I. Relation zeigt, die Formulierung *indifferentes sorores laicales* ausgelassen worden.

⁵ Im Original *nosci*.

74. *Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter servantur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.*
Cfr. I. Relatio.

Ob penuriam sacerdotum in urbe Viennensi nonnullae scholae publicae per longius tempus etiam ultimis annis erant sine catecheta; valde optandum esset, ut omnes regulares sine exceptione ab Apostolica Sede mandatum ad doctrinam christianam in scholis edocendam acciperent. Catechetae etiam ultimis annis conferentiis, scriptis, exercitiis ad munus suum melius adimplendum sunt adducti.

Etiam magistri laici catholici, qui sacerdotes in doctrina Christiana edocenda summopere adiuvant, sunt laudandi.

Confessio, et communio necnon missa puerorum in variis ecclesiis fiebat exemplari modo magna cum solemnitate.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.*

Cfr. I. Relatio.

Pluribus conferentiis necnon thematis in conferentiis sic dictis „pastoralibus” „de concione hodierno tempore necessaria” concionatores ad officium suum bene implendum sunt edocti.

76. *An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*

Ut in I. Relatione.

Caput X. *De religiosis*

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabilia adnotanda habeat.*

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.*

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclastrati, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

77-83) ut in I. Relatione.

ad 77) Ordines Barnabitarum, quorum provincia Austriaca ab Apostolica Sede est dissoluta cuiusque 2 domus Congregationi Ss. Salvatoris sunt traditae, necnon Minoritarum et Servorum B. M. V., porro Cappucinatorum sunt reformati.

Nonnulli sacerdotes Barnabitarum non obtemperant mandatis superioris Generalis.

Optandum esset, ut regulares antiquiorum ordinum, qui nimis numerosi sunt in I districtu urbis Viennensi, plus clerum saecularem adiuvent in externis huius urbis districtibus.

Nonnullae congregationes sororum a Communitate socialistica Viennensi e nosocomiis publicis vel scholis publicis sunt dimissae.

ad 80) Dioecesani iurisdictionis nunc est etiam Pia sodalitas „Regina Apostolorum” pro Missionibus in India, consistens ex sacerdotibus, fratribus et sororibus.

Constitutiones Sororum III. Ordinis S. Francisci anno 1923 ab Apostolica Sede sunt approbatae.

Caput XI.

De populo fideli

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

86. Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenariis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenariis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quatenus exinde detrimenta religioni proveniant: an servantur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

Cfr. I. Relatio.

ad 84) Mores ac vita christiana fidelium ultimis annis meliores sunt facti.

Iterum praesertim in urbe Viennensi in hunc finem habitae sunt multae conciones, praesertim pro viris, porro congressus catholicorum, magna cum concursu populi, fiebant. Parochi iterata vice mandatum acceperunt, statum animarum accurate describendi. Quod cremationem attinet, in novo crematorio urbis Viennensis a die 17. Ianuarii usque ad 31. Julii 1923 428 corpora sunt cremata, quorum 250 catholici, 64 protestantes, 50 mosaici, 24 acatholici, 39 sine confessione erant.

89. *De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.*

90. *De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.*

91. *De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera- post-scholastica, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

ad 89-91) Magnum solatium mihi praebet, quod quaestiones, quae scholam catholicam attinent, magno cum zelo inter fideles discutiuntur, quod praesertim associationes pro christiana educatione puerorum summa industria laborant, quod 2 nova folia periodica pro pueris sunt condita.

Ad propagandam „scholam catholicam confessionalem” in Austria habita est sic dicta „Dominica pro scholis”, qua in omnibus parochiis conciones et congressus fiebant in hunc finem, magno cum effectu.

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.*

93. *An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agriculturalium, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.*

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituuntur et christianam vitam ducant.*

ad 92-95) Etiam associationes catholicae variae sunt progressae, praesertim associationes pro iuvenibus et puellis, pro quibus etiam sic dicta „Dominica iuventutis” in tota dioecesi est habita, porro variae associationes pro missionibus (opus Propagandae fidei, unio cleri), iterum summopere auctae „Dominica missionum” in tota dioecesi habita; denique organisatio associationis pro operibus caritativis „Diözesan-Caritasverband ” eminent. Laudandae etiam sunt duae associationes sicuti piae sodalitates constitutae „Agnesschwestern” et „Caritas socialis”. Sic dictae Sorores St. Agnetis typographiam habent et variis operibus caritativis pro infantibus sunt

deditae. Sorores „Caritas socialis” (sub regimine Praelati Dr. Seipel) praesertim puellas derelictas, periclitantes, veneree infectas, vel matres illegitimas curant. Sorores utriusque associationis memoratae vestibus sicut laicae sunt indutae.

96. *An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

Etiam ephemerides catholicae numerum lectorum auctum habent; inter ephemeridas religiosas in dioecesi eminet „Wiener Kirchenblatt“ quae contactum inter parochos et fideles adiuvat.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.*

98. *An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

99. *Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.*

ad 98 et 99) Inter associationes socialistarum periculosissima pro fidelibus est sic dicta „Kinderfreunde”, quae iam pueros in sensu socialistico vult educare eosque spiritu religioni infenso imbut. Numerus asseclarum „Kinderfreunde” in tota Austria est 70.000.

Die 21. Octobris 1923 novae electiones deputatorum in Austria et in Communitate Viennensi sunt habitae, quae quidem numerum factionis catholicae „christiano-socialis” maiorem relate ad priores electiones efficiebant, tamen in urbe Viennensi maioritatem absolutam socialistarum frangere non potuerunt; quapropter etiam memoratis electionibus conditio Ecclesiae in Austria vel in urbe Viennensi haud multo melior facta est.

CAPUT XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. *Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.*

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Quod conditionem materialem Archidioecesis Viennensis attinet, multae difficultates curae animarum causantur ex inopia, qua semper adhuc magna pars fidelium laborat; hoc socialistae omni modo utuntur, ut incolas noncontentos ad factionem suam alliciant, praesertim caritatis operibus et institutis.

Generatim loquendo clerus curae animarum laudabiliter operam navat; hoc ideo liceat afferre, cum praesertim in urbe Viennensi conditio cleri sit valde difficilis, quia urbs Viennensi regitur a gubernio socialistico, S. Ecclesiae late et aperte infensissimo; quapropter sacerdotes in scholis publicis doctrinam christianam docentes – fere quisque sacerdos in quavis hebdomada per 24 horas docet religionem christianam – multa debent sufferre ab inspectoribus et praefectis scholarum publicarum; ideo clerus ac fideles magis magisque postulant scholas catholicas (sic dictas confessioniales).

Archidioecesis Viennensis porro, quamvis sperare liceat meliorationem ex variis remediis adhibitis, penuria sacerdotum, quorum numerus est nimis parvus, laborat necnon parochiarum – quod urbem Viennensem attinet; novae vero parochiae condendae sunt tantummodo diversis ex parte auctoritatum civilium difficultatibus remotis; ex hac abnormali magnitudine urbis Viennensis parochiarum etiam evenit, quod parochi etiam zelosissimi saepius obligationi suae – praesertim quoad curam infirmorum – satisfacere nequeunt.

Quapropter iterum atque iterum regulares Ordines nostros rogo, ut clerum secularem adiuvent in cura animarum in exterioribus districtibus urbis Viennae, necnon in eiusdem scholis publicis, immo omnino necessarium mihi videtur, quod omnes Ordines religiosi in urbe Viennensi novas parochias condere incipiunt.

Quamvis memoratis difficillimis circumstantiis perpensis Iudicium syntheticum pro me haud facile sit deponere, tamen humillime referre possum, curam animarum archidioecesis Viennensis paulatim fieri meliorem; ad hoc institui Commissionem specialem sacerdotum et instigo clerum meum, ut fideles „Cursibus religiosis”, concionibus pro viris, sacris missionibus, associationibus catholicis, praesertim Academicorum, in fide catholica conservent.

Gratia Dei ultimis annis non frustra esse videntur conamina nostra; in multorum fidelium animis se manifestat magis magisque criterium spiritus vere ecclesiastici, illud „sentire cum Ecclesia” et exercitium fidei nostrae practicum haud parvos fecit progressus.

Viennae, die 26. 2. 1924

+ Fr. G. Card. Piffl
Archiepiscopus Viennensis